

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Consideratio status damnatorum, quod actiones ipsorum inprimis malas, concernit

Fecht, Johann

Durlaci, 1680

XVIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122744](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122744)

libus tamen Quæstionibus, Quodl. III. artic. XXIV. odium & blasphemiam Dei damnati tribuit. Nam ad quæstionem, utrum damnati gaudeant de pœnis inimicorum suorum, inter alia respondet, *Dicendum, quod pœna inimici considerata ab eo, qui est in inferno, habet quodammodo rationem delectabilis, & quodammodo rationem tristabilis. Rationem quidem delectabilis habet, in quantum impletur voluntas damnati de malo inimici sui. Sed ex aliâ parte habet rationem tristabilis propter duo. Primum quidem, in quantum in pœnâ inimici impletur divina justitia, quam odiunt & blasphemant damnati in inferno, secundum illud Apocalypf. 16. Æstuaverunt homines æstu magno & blasphemaverunt nomen Domini. Secundo propter vermem conscientia.*

XVIII. Subjungemus Thomæ unicum five sectatorem sive interpretem. Is est Petrus de Palude, ordinis Prædicatorum, Patriarcha quondam Hierosolymitanus, quem Fr. Paulus Soncinas, qui eum primum edidit Venetiis, A. D. M. CCCC. LXXXV. hoc encomio prosequitur: *Fuit Petrus vir sacris nostris initiatus, bonarum quoque artium consummatissimus quidam Præceptor ac illustrator, usque aded, ut nulli hominum ætatis suæ aut magnitudine animi, aut scientiarum copiâ, aut humanarum rerum usu atque consilio, aut ullo virtutis genere inferior unquam habitus sit. Quinimò solum Thomam huic Petro præfert: Nolim autem eum, ait, prætulisse Thomæ, quem Thomas numen quoddam in terris fuit, cui latini omnes ac græci & barbari auctores cedant: sed ingenuè illud fateor, nullius cujuscumque alterius editionem his Petri commentariis, aut multitudine quæstionum, aut sententiarum copiâ, aut proprietate sermonis æquari vel comparari posse. Hic tantus vir, cum multitudine quæstionum abundare dicatur Soncinati, in ultimâ tamen distinctione magis, quam cæteri omnes, deficit, & quæstionem de damnatorum obstinatione vix paucis ex Thomâ verbis decidit: Tertia, inquit, quæstio est de obstinatione, quod mittentur in tenebras, non solum exteriores, sed interiores. Obscuratum est insipiens cor eorum. Non possunt enim bonum benè velè, sed omnis voluntas eorum deliberativa est mala.*

XIX. Thomæ Aquinati integro post mortem ejus seculo perpetuus surrexit adversarius, Johannes Duns, Scotus, dictus quidem à suis solenni encomio *Doctor subtilissimus*, qui tamen subtilitate suâ aded obscure haud rarò philosophatur, ut nec discipuli ejus, quid magister vel ipsi velint, explicare se satis queant. Hic ille